

quo linguae commercio, quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesilio unus per tot gentes, dissonas sermone moribusque, pervenisset? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus suis opinor magis; instructumque non tam per gravis artibus, quam disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audit nomine Numae, Patres Romani, quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumpto, videbantur; tamen, neque se quisquam, nec factio-  
nis suae alium, nec denique Patrum aut civium quem-  
quam praeferre illi viro ausi, ad unum omnes Numae Pompilio regnum deferendum decernunt. Accitus, sicut Romulus augurato, urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque deos consuli jussit. Inde ab augure (cui deinde, honoris ergo, publicum id perpetuumque sacerdotium fuit) deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad laevam ejus, capite velato, sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt. Inde ubi, prospectu in urbem agrumque capto, deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinavit; dextras ad meridiem partes, laevas ad septentrionem esse dixit. Signum contra, quo longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit. Tum, lituo in laevam manum translato, dextra in caput Numae imposita, precatus est ita: Jupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium, cajus ego caput teneo, regem Romae esse, ut tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auspicia, quae mitti vellet: quibus missis, declaratus rex Numa de templo descendit.

### CAPUT XIX.

Qui, regno ita potitus, urbem novam, conditam ~~vii~~ et armis, jure eam legibusque ac moribus de intergo condere